

NICOLAUS SZYMAŃSKI

ARISTOT. *POET.* 1455 A 7–8: NUM ORESTES
RATIOCINETUR

Aristoteles in *Poeticorum* libro narrat, quomodo in tragoediis se invicem agnoscant personae, quae post multos annos sibi occurrant, enumeratque aliquot modos talis agnitionis (quae Graece ἀναγνώρισις vel ἀναγνωρισμός appellatur). Inter quos est agnitio, quae evenit ex ratiocinatione (ἐκ συλλογισμοῦ). Ecce unum eius exemplorum, in ea saltem forma, quae in libris manuscriptis et editionibus invenitur: καὶ ἡ Πολυίδου τοῦ σοφιστοῦ¹ περὶ τῆς Ἰφιγενείας. εἰκὸς γὰρ ἔφη τὸν Ὀρέστην συλλογίσασθαι, ὅτι ἢ τ' ἀδελφῆ ἐτύθη καὶ αὐτῷ συμβαίνει θύεσθαι². Secundum codicum lectionem Orestes aliquid ratiocinatur. Ultima tamen verba nullam conclusionem continent. Miratur tantum Orestes sibi evenire idem ac suae sorori, nempe Dianae et eam immolatam esse, et se nunc sacrificari. Sine dubio apud Polyidum Iphigenia ex eis dictis intulit peregrinum esse neminem alium atque Orestem. Ad eam igitur, non ad eius fratrem, verbum συλλογίσασθαι referri debet. Quod elucet ex altera mentione eiusdem loci, paulo post in *Poeticis* facta. Ibi enim Orestes θύεσθαι μέλλων ἀνεγνώρισεν, εἴθ' ὡς Εὐριπίδης εἴθ' ὡς Πολυίδος ἐποίησεν, κατὰ τὸ εἰκὸς εἰπὼν, ὅτι οὐκ ἄρα μόνον τὴν ἀδελφὴν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν ἔδει τυθῆναι, καὶ ἐντεῦθεν ἡ σωτηρία³. Cave hic ἀνεγνώρισεν intellegas “agnovit” (LSJ s.v. A 2 a), idem enim sibi vult ac ‘se agnoscere fecit’ (LSJ s.v. A 2 b vel c, quae divisio mihi ratione carere videtur). Textus prioris loci est ergo sanandus ita, ut συλλογίσασθαι ad Iphigeniam pertineat. Quod hoc modo temp-taverim: εἰκὸς γὰρ ἔφη τὸν Ὀρέστην <τὸν ξένον εἶναι αὐτὴν> συλλογίσασθαι. Erunt fortasse, qui putent post συλλογίσασθαι deesse aliquod verbum dicendi, ut pote εἰπόντα (ut in altero loco supra citato), sed Aristoteles talia saepe omittit, ut videmus in eis, quae ilico sequuntur: καὶ ἐν τῷ Θεοδέκτου Τυδεΐ, ὅτι ἐλθὼν

¹ Assentior Catharinae Pietruczuk (*Listy w tragedii Eurypidesa*, „Meander” 69, 2014, p. 24), quae putat Polyidi opus, de quo Aristoteles loquitur, potius declamationem fuisse quam tragoediam.

² Aristot. *Poet.* 1455 a 6–8.

³ *Ibidem*, 1455 b 9–12.

ὡς εὐρήσων τὸν υἷὸν αὐτὸς ἀπόλλυται⁴. Ibi enim etiam Tydeus ex eo, quod dicit, agnoscitur.

*Universitas Varsoviensis
Uniwersytet Warszawski
Instytut Filologii Klasycznej
Krakowskie Przedmieście 1, 00-047 Warszawa
mikszyman@poczta.onet.pl*

Key words: Aristotle, Poetics, textual criticism.

⁴ *Ibidem*, 1455 a 8–10.